



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

[7.] S. Albertus Ordinis Carmelitarum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*bus glorificetur Deus. S. M. Theresiæ:
Aut pati, aut mori. Nobilem industriam?
modò non ita raram! Officium minus
de Spiritu S. oremus.*

Festum S. Alberti ex S. Ordine
Mariano Patrum Carmelitarum
Provincialis vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Nudum Christum nudus sequi, ni-
mis difficile est; Tamen per Dei
gratiam possibile. Secutus sic est S. Al-
bertus, abdicatò patrimonio longè pin-
guissimò. Quò motivò? Quia didicit,
veram felicitatem in hoc mundo non
esse aliam, quàm parùm, vel nihil ha-
bere. O dilecte! Unde tœdia? Unde
anxietates? Mille timores, & labores
unde? Nónne ex divitiarum, & rerum
creatarum possessione inordinatâ?
Vera divitie sunt paupertas divitiarum.
Clemens Alex.

Instructio meritoria.

Propter nos egenus factus est Chri-
stus, cùm esset dives in omnibus, ut il-
lius inopiâ nos essemus divites. Si bo-

na, si divitias non possideamus, adhuc habemus, quod prorogemus pauperi Jesu: Cuilibet cibo, præcipuè si pretiosior, unam, vel alteram subtrahamus buccellam cum dicto: *Esurit Jesus in pauperibus: Et ego tam opipare nutrior! Absit! pasco Jesum, & hanc mortificationem appetitûs offero.* Ter recitemus Rhythmum amoris: *Anima Christi sanctifica me.*

II.

O Alberti humilitatem! Ordinatus in sacri ordinis Provincialem, manu bacculum, humeris manicam gestans, commissam sibi provinciam pedes obibat. Miramur hunc spiritum. Sed & imitari satagamus tempore, quò nos ad subveniendum invitat Charitas.

Instructio meritoria.

Sæpe ex obedientiæ, & charitate sumus constituti in via, & itinere, ubi non modica sustinenda tum animi, tum corporis molestia. Patiamur oblatam, vel absentem ultrò quæramus, eundò pedibus, dum occasio vehendi in curru, vel frigus, & æstum cum sudore Deo refle-

xè donandò illis verbis : *Domine! omnia propter te.* Vel defectum in familiaritate sufferendo, nosque ipsos nobis, & aliis famulos exhibendo, memores illius: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Pro hujus fidei executione, pro salute itinerantium, vel aliò modò periclitantium recitemus itinerarium coram Sanctissimo. Succurramus, ut beatè ambulemus viam æternitatis.

III.

S. Albertus effatum nobis reliquit doctissimum, dicens, animum quatuor constare elementis : *Puritate, humilitate, fide, & pietate.* Quia cum puris, humilibus, & piis servulis est Dei sermocinatio, & dulcis conversatio. Quomodo est Deus in cordibus nostris? Quid loquitur? Aut quomodo operatur? Si frigidè; si parcè; nobis imputemus, quia purè, & humiliter non vivimus. Et sic vivere delectat? In vitiis, & immunditiis delectamur? Tempus breve est, & gaudium mutabitur in luctum.

Instructio meritoria.

Ab ordine vitæ dependet tota sanctitas,

U 5

tas,

tas, & vitæ perfectio. Vivere, & non scire, quò ordine, est ambulare in tenebris. Nunquam in puritate, humilitate, fide, & pietate crescemus, si dies, & horas non ritè ordinaverimus. Commendatur igitur accurata temporis distributio, de qua nec jota, nec apex prætereat. Turbata, & impuræ animæ, ut tenebris depulsis redeant ad lucem quietæ & serenæ conscientiæ, spiritualem hodiernam communionem eis offeramus cum fructu sacrificii, addendò insuper Officium de dulcissimo corde Jesu. Hinc fons omnis tranquillitatis, & spiritualis lætitiæ.

Festum S. Laurentii, Martyris gloriosi, & Levitæ in craticula constantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! non audimus in craticula exultantem Laurentium, & dicentem: *Ego me obtuli sacrificium Deo. Gaudeo, quia hostia Christi effici merui.* Nos ipsos offerimus Deo in sacrificium, cum vitam nostram Divino consecramus